



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

133. In Diœcesi N. volentes ad Ordines promoueri, prius adscribuntur
Ecclesiæ Cathedrali, & per annum gestat habitum Clericalem inseruendo
eidem Ecclesiæ, prout faciunt Clerici iam ordinati, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

De Immunit. Eccles. Resol. CXXXII. &c. 161

Iure iudicium fugiendi animo, & fraude, ordinati veniunt.

3. Notandum est verò, quòd stando in prima sententia, DD. citati asserunt, non posse iudicem laicum talem Clericum ordinatum in fraudem punire quoad pœnam corporalem; sed tantum ad pœnam pecuniariam; confiscationem bonorum. Ita Belletus in *disquis. cler. p. 1. tit. 3. §. 4. num. 3.* qui citat octodecim Doctores. Petrus Cenedo in *collekt. iur. can. part. 1. collekt. 3. num. 13.* & alij penes ipsum. Molina *tract. 3. disp. 49. n. 22.* & Bonacina *vbi supra.* Sed hoc etiam displicet Genuensi loco citato; quia, vt *suprà* etiam sapè dictum est; Canones determinat in specie, vt exempta persona Clerici, non possit in rebus molestari, ne per vnum viam concedatur, quod per aliam denegatur. Et ita habetur in *c. vnic. de cleric. coniug. in. 6.* Sed circa præsentem questionem vide etiam Laymã. in *Theol. mor. lib. 4. tract. 9. c. 4. n. 13.* & *seq.* Suarez *contra Regem Anglia, lib. 4. cap. 15. n. 17.* resellentes quandam sententiam Couarr. & Iulij Clari.

RESOL. CXXXII.

An qui assumpsit habitum Clericalem post delictum animo subrahendi se à laica potestate, gaudeat privilegio fori?

Et si quis dicat se suscepisse habitum Clericalem ex vi voti, an ipsius iuramento standum sit? Ex part. 3. tract. 1. Resol. 67.

§. 1. DE hac quaestione olim mihi magna controversia fuit cum quodam supremo ministro Regio, & affirmatiuam sententiam ipse docui in *tract. de immunit. eccles. res. 26.* & nunc iterum doceo quia dici potest istum vt iure suo, assumendo statum clericale, qui licet illum assumpsit hac intentione, non videtur priuari ipso facto privilegio clericali, licet fortasse dignus sit qui tali privilegio priuetur, & ita hanc sententiam docet Suarez contra Regem Anglia *lib. 4. c. 15. n. 17.* & iterum Bonac. in *Bull. Cen. tom. 3. disp. 1. q. 16. sect. 1. p. 5. n. 9.* quidquid etiam in contrarium asserat DD. quos citavi in *dr. res.* quibus nunc addo Zerolam *ver. Clericus n. 6.* Tulium Clarum *q. 36. n. 8.* & eius additionatorem *ibid. lit. G.* & alios penes ipsos. Sed si aliquis vellet stare in opinione negatiua, dicendum est in negantem incumbere onus probandi statum clericalem assumptum fuisse per fraudem; quomodo autem id probetur, vide Mascardum *tom. 2. concl. 15.* Gabrielem in *comm. opin. tit. de presump. concl. 13. n. 2.* Ambrosinum *de immunit. cap. 19.* Duardum in *Bull. Cen. lib. 2. can. 15. q. 11.* Martam *de iur. par. 4. cas. 176.* & alios penes ipsos.

2. Si autem quis dicat se suscepisse habitum clericalem ex vi voti, an ipsius iuramento standum sit, negat Farinacius *tit. de Inquis. q. 8. n. 114.* & alij; sed affirmat Decianus; & alij penes Ambrosinum *11.* quibus ego addo Hieronymum Rodriguez in *comp. qq. Regul. resol. 101. n. 9.*

RESOL. CXXXIII.

In Diocesi volentes ad Ordines promoueri prius adscribuntur Ecclesia Cathedrali, & per annum gestant habitum Clericalem inseruiendo eidem Ecclesie, prout faciunt Clerici iam ordinati: quaritur, an in dicto anno gaudeant privilegio fori?

Et an omnes seruientes Ecclesiis, gaudeant privilegio fori, maxime Scholares addiscentes & seruientes Ecclesiis? Ex part. 6. tract. 1. Resol. 36.

Tom. I X.

§. 1. NEGatiuè respondet Bonacina *tom. 2. disp. 10.* *Supr. hoc in* *lib. 4. cap. 29. n. 9.* Gambacurta *de immunit. lib. 7. cap. 1. n. 7.* Reginal. *tom. 1. lib. 9. c. 23. n. 354.* & alij. Probat Bonacina hanc sententiam. Primò, quia tales non gaudent privilegio Canonis, ergo neque gaudent privilegio fori. Secundò quia in Concilio Tridentino non solum, vt quis gaudeat privilegio fori; præferibitur ei delatio habitus, sed etiam tonsuræ. Tertio quia supradicti non sunt persone Ecclesiasticæ.

2. Verum ego affirmatiuè sententiam tanquam magis Ecclesiæ fauorabili libenter adhareo, quam tueretur Decianus, quem citant & sequuntur Ambrosinus *de immunit. c. 22. n. 6.* & Farinac. in *Praxi Crim. q. 8. n. 5.* quibus ego addo Belletum. in *disquis. Cleric. tit. de fauore Cleric. personali §. 2. n. 2.* Barbofam *de iur. Eccles. lib. 1. c. 3. §. 2. n. 52.* & alios penes ipsos asserentes privilegium fori extendendum esse ad seruientes Ecclesiis. Et probant hanc sententiam *ex c. 2. de foro compet. vbi sic habetur.* Nullus iudicium neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum vllum, aut minores Ecclesiæ sine permisso Pontificis per se distingere, aut condemnare præsumat. Vbi gloss. per minores Ecclesiæ intelligit seruientes deputatos ad eius obsequium.

3. Nec obstat dicere cum Gambacurta & Reginaldo vbi supra, quòd text. in *dicto. cap. 2.* intelligendus est de illis, qui sunt perpetuò adstricti seruitio Ecclesiæ: nam hoc gratis dicitur: cum enim inseruientes Ecclesiæ privilegio fori decorentur, non in gratiam propriæ persone, sed in gratiam ipsius Ecclesiæ, vt patet *ex dicto. cap. de foro. compet. & ex cap. Ecclesiarum seruis 12. quest. 1.* Sequitur, quòd qualitas perpetuitatis non possit esse considerabilis, vt sine illa inseruientes non debeant gaudere immunitatibus: pro tempore enim, quo inseruiunt famuli temporales, eodem modo inseruiunt respectu illius temporis, quo perpetui respectu perpetuitatis: neque enim perpetuitas imprimit characterem prout Clericatus, cuius ratione non possint perpetui conueniri coram iudice Laico: sed idè conueniri non possunt, quia Ecclesiæ inseruiunt, quæ qualitas seruitij ita cadit in temporario, prout in perpetuo. Cum igitur seruire non importet necessariò actum perpetuum, cum ad tempus quis possit inseruire, & respectu illius temporis eadem sit vtilitas Ecclesiæ, pro qua inductum fuit privilegium, ratione serui temporarij, quæ est ratione serui perpetui. Ergo cum vt Ecclesia seruitium consequatur, dum effectualiter famulus inseruit, non sit necesse, vt addictio sit perpetua; in consequens per necesse sequitur, quòd exemptio, quæ est concessa intuitu seruitij Ecclesiæ, non sit concessa intuitu perpetuitatis: & sic quòd perpetuitas, vel temporalitas non potest aliquid importare, vt ex ea concludatur exemptio. Et ita hanc sententiam Gambacurta & Reginaldi de seruis perpetuis & temporariis optimè refellit Hispania Narbona in *recopilat. part. 3. lib. 4. tit. 1. leg. 20.* Gloss. *1. num. 27.* & alij.

4. Nec secundò obstat dicere cum Suarez. *n. 11.* textum in *dicto. cap. 2.* intelligendum esse de seruientibus Ecclesiæ non omnino Laicis, sed habentibus saltem primam tonsuram, nam hoc etiam gratis dicitur. Et miror alioquin virum doctissimum hæc dixisse, nam ante Concilium Tridentinum omnis Clericus etiã primæ tonsuræ sine seruitio Ecclesiæ gaudebat privilegio fori, vt late & doctè more suo probat Thomas Vallacus Lusitanus *tom. 1. alleg. 10. n. 12. & 13.* Ergo nullum privilegium haberent seruientes Ecclesiis virtute *dict. cap. 2. de foro compet.* Sed vt vult

Suarez, Clerici esse deberent; nam Clerici etiam non deseruiunt Ecclesiae tunc, ut dictum est, privilegio fori gaudebant.

5. Dicendum est igitur absolute seruientes Ecclesiis gaudere privilegio fori, & maxime in casu nostro, cum deseruiant in habitu Clericali & in ordine ut ad Miores promoveantur. Vnde hanc sententiam videtur satis firmare Siculus noster Barbat. in dicto c. 2. de foro compet. n. 29. vbi sic ait. In Glossa quaeritur, quid comprehendatur appellatione minorum Ecclesiae, qui non possunt distringi, aut condemnari à iudice Laico. Respondet, quod sunt scholares, vel seruientes Ecclesiae deputati ad eius obsequium: quia illi eodem privilegio gaudere debent 12. quaest. 2. cap. Ecclesiarum seruos: habuit forè respectum ad quosdam Ecclesias, maxime in Alemania, vbi sunt scholares addiscentes, & seruientes Ecclesiae: simile habetur in cap. 1. de celebrat. Missar. Veniunt etiam seruientes ipsi Ecclesiae, si ad obsequium eius deputati sunt. & sic non sufficit seruire Ecclesiae, sed oportet deputatum esse ad eius obsequium. Vidi ego sarpenero fornarium meum seruientem Ecclesiae in Missa, ut propter hoc non gaudeat privilegio Ecclesiae, quia ad illud seruitium non est deputatus. Sed Vincentius videtur intelligere in iunioribus deputatis Ecclesiae obsequio, ut adueniente aetate promoueantur ad Ordines. Hucusque Barbatia, cuius vltima verba mirifice faciunt pro casu nostro, & ea quoque, quae addit postea num. 33.

6. Restat modò respondere ad argumenta Bonacinae in principio posita. Et ad primum, quod isti Ecclesiae seruientes non gaudent privilegio Canonis; ergo neque gaudere debent privilegio fori. Respondeo negando consequentiam: nam familia Laica Episcopii, ut iteratis vicibus declarauit Sacra Congregatio; & ego satis firmam ex communi Doctorum sententia in Apologetica disceptatione contra Moscofum resolut. 2. gaudet privilegio fori, & tamen non gaudet privilegio Canonis. Valet quidem argumentum, ut obseruat Suarez contra Regem Angliae lib. 4. cap. 29. num. 7. Layman lib. 3. tract. 9. cap. 7. num. 1. & me citato Ambrosius Machin, vbi infra artic. 4. n. 37. valet inquam, argumentum, gaudet quis privilegio Canonis; ergo gaudebit privilegio fori, sed non è conuerso.

7. Ad secundum. Quòd ex Concilio Tridentino, o ut quis gaudeat privilegio fori, debet non solum gestare habitum, sed tonsuram. Respondeo, quòd Concilium, ut legentibus patet, loquitur de privilegio fori, quo debent gaudere Clerici, ut Clerici: non de privilegio, quod aliis competit ex alio capite. Et ideo Concilium asserit, Nullus Clericus prima tonsura initiatus, &c. Vnde Stephanus Bauny Auditor parum fauens Ecclesiasticae immunitati, licet alioquin vir doctus & eruditus in Theolog. Moral. tom. 1. tract. 11. quaest. 37. & alij quos ad satietatem adduxi in dict. disceptatione Apologetica, resolut. 8. mordicus hanc sententiam tenent.

8. Ad tertium argumentum, quòd dicti seruientes non sint personae Ecclesiasticae; Respondeo hoc esse verum; sed non sequitur. Ergo non gaudent privilegio fori: quia, ut dictum est, hoc privilegium illis nõ datur à sacris Canonibus intuitu personarum sed ratione solius utilitatis Ecclesiae: sicut seruientes Episcopis non sunt personae Ecclesiasticae, & tamen gaudent privilegio fori. Vnde non desinam hic apponere verba Ambrosij Machin, in allegat. pro iurisd. Ordinum militarium artic. 6. num. 58. vbi sic ait. Muy diferente razon es de los Clerigos à los de la familia del Obispo que gozan del fuero, y no del Canon: porque el fundamento de gozarle no es el mismo

pués no se les da como à personas Ecclesiasticas, si no come à familiares del Obispo, à quien el derecho le da.) Hac ille, quae individualiter deseruiunt pro casu nostro: & pro responsione ad omnia argumenta Bonacinae. Contra quem etiam facit casus vxoris Clerici coniugati, ut me citato docet nouissime Merolla tom. 3. disputat. 6. cap. 3. num. 52. & ego addo, vxores Equitum Diui Jacobi Alcantarae, & Calatranae; quas certum est non gaudere privilegio Canonis, neque esse personas Ecclesiasticas, & tamen gaudent privilegio fori: ut inter alios nouissime solide probat eruditus Franciscus de Amaia in Cod. lib. 20. tit. 39. n. 12. & seq. Ergo idem dicendum est de seruientibus Ecclesiis, qui licet non gaudeant privilegio Canonis, neque sint personae Ecclesiasticae, non ex hoc sequitur contra Bonacinam non posse gaudere privilegio fori, & maxime in casu nostro, vbi tales incedunt cum habitu Clericali, & seruiunt Ecclesiis intuitu suscipiendi ordines minores. Et ita stando in terminis iuris communis ego probabiliter sentio, saluo semper aliorum doctorum virorum meliori iudicio & Sacrae Congregationis immunitatis oraculo.

RESOL CXXXIV.

An Clerici inseruientes verè adstricti alicui Ecclesiae, licet primam tonsuram non habeant, gaudeant privilegio fori?

Et explanatur, quod quamuis Clerici, qui dicuntur, Saluatici, non gaudent privilegio Canonis, neque exemptione gabellarum, tamen gaudeant privilegio fori. Ex part. 3. tract. 1. Ref. 69.

§. 1. Negatiuè responderet Bonac. in Bull. Cen. 3. disp. 1. q. 16. punct. 3. n. 7. quia talis clericus non gaudet privilegio canonis; ergo neque gaudet privilegio fori, & hanc sententiam videtur innuere Reginald. tom. 1. lib. 9. c. 23. n. 355. ceteras rationes videbis apud Bonacinam.

2. Sed his non obstantibus non desunt Doctores post Concilium Tridentinum scribentes, qui asserunt dictos clericos privilegio fori gaudere, & ita tenet Bellettus in disquis. cler. part. 1. tit. de fauore clericorum personal. §. 2. num. 2. Ambrosius de imman. cap. 22. n. 6. & Decianus in tract. crim. tom. 1. lib. 4. cap. 8. n. 2. & ad argumentum quod adducit Bonacina vbi supra posset aliquis respondere, quòd clerici, qui dicuntur saluatici non gaudent privilegio canonis, neque exemptione gabellarum, & tamen gaudent privilegio fori, ut declarauit sacra Cardinalium Congregatio 10. Kalendas Iunii 1632. cuius verba asserit Paulus Squillante de privileg. cler. cap. 7. dub. 2. n. 4. & Nouarius de elect. fori q. 52. sub. n. 13. sect. 2. in vltima impressione Neapolitana. sed circa supradictos clericos saluaticos multas quaestiones suscitauit nouissime Aloysius Riccius in praxi fori eccles. tom. 4. resol. 223. usque ad resol. 131. lege illum, & non pigebit.

RESOL. C.

An Clericus incedens cum habitu, & Tonsura sed non deseruiens alicui Ecclesiae, gaudeat privilegio fori?

Et notatur, quod licentia Episcopi deseruiendi in certa Ecclesia sufficit, ut obtineatur oretenus, sed non sufficit seruitium in temporalibus, sed in spiritualibus, & sufficit, si seruitium praebeatur alicui Ecclesiae, quam illi, in qua mandauit Episcopus, etiam si seruiat Capella existenti

Quae hic est inica in tr. 8. Resol. etiam 2. §. 1. post meliorem, a veris. An familia Episcopi, & in Resol. not. seq. & aliis eorum annotation.

Quae hic est infra in tr. 8. Ref. 8. & in Resol. §. & veris. annot. praterita, & infra in Ref. 182. & in ceteris aliis eius prime a. not.

* Sup. comento in hoc vers. cum essent auctoritas & alii infra in Ref. 176. §. Probatur primo & in aliis eius annotationes. & pro privilegio Canonis melius in to. 5. r. 2. Refol. 43. §. Sed an.

Sup. hoc in Ref. praterita, & pro privilegio Canonis lege §. nor. seq.

Sup. hoc privilegio Canonis in to. 5. r. 2. Ref. 9. §. vlt.